



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

Vastovius, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.

Herbertvs Episcopus Confess.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38534

I

HERBERTVS

EPISCOPVS FLORVIT

ANNO CHRISTI 813.

LEONE Papa III.

CAROLO MAGNO Imperatore.

BIORNO Rege Suecorum Gothorumque.



Anno ab incarnatione Verbi octingentesimo tertio decimo, diuina disponente misericordia apertum est fidei ostium per amplissima Aquilonis Regna, ignisque iuxta Ezechielis vaticinium, in Magog immissus corda habitantium in insulis penetrans, eadem flammis verbi diuini succendit, atque adeo factum nomen Domini laudabile, à solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari. Enimvero laudatissimus atque inflammato fidei proferendæ studio in primis ardens Imperator Carolus Magnus, vir certe Apostolico spiritu afflatus, Saxonia prospere ditioni suæ subiecta, ad augendam propagandamque Christianam fidem omnes ingenii atque imperii sui vires conuertens, vt voti facilius compos fieret, amicitia primùm fœdere ac muneribus, vicinorum Aquilonarium Regum animos sibi deuinciendos putauit: deinde missis ac susceptis vltro citroque legationibus, æque in admittenda promptos illos luce Euangelica animaduertit, vt sese in inferenda exhibuît. Sedit eo tempore ad Sueciæ Gothiæque Regnorum gubernacula, Biornus Rex, in ordine centesimus, qui diu in votis habitâ cum supra dicto Carolo potentissimo Monarcha ineundæ societatis religionisque Christianæ cognoscendæ occasionem nactus, nulla omnino mora interposita, eiusdem religionis peritissimos, pietateque clarissimos viros miti ad se expetiit. Nec fuit in obtinendo vlla difficultas, inter alios datus est ei moribus suauissimus, animarumque quas humani generis assertor preciosissimo suo redemit sanguine, lucrandarum studio flagrantissimus Herbertus Episcopus Belga natione. Hic primus cum sociis Ostrogothiam penetrauit, & in diuersis eius locis falsorum numinum cultum impugnans doctrinæ ab vnigena Dei traditæ sparsit semina, primaque Ecclesiæ Lincopen. fundamenta iecit. Verum quia nondum tunc plenitudo temporis, à Patre cælesti de Gothis & Sueconibus ad vndecimam vltimam horam otio defluxuris, præuisa aduenerat, inimicus homo in noxiam culturam irrepsit, tenerumque semen ne in fructum erumperet conculcatur.

Ezechiel. 39.

Psal. 112. Psal. 106.

Carolus Magnus Christiana Catholica

fidei in deuicta Saxonia & sibi fœderata septentrione propagator.

Herbertus I. Gothorum Apostol. & Eccl. Lincopensis fundator.

Gothi ad Idolatriam paucis demptis relabuntur.

A culca-

culcauit. Consumptis enim verbi Dei præconibus, partim fatorum vi, partim persecutionum clade, in Gothis idololatria recruduit, paucis quos Deus præsciuit & prædestinavit in suscepta fide ac religione perseverantibus.

Herbertum primum omnium apud Ostrogotos verbum Dei prædicasse, asserit Chronicon Episcoporum Lincopensium centum ab hinc retro annis Sudercopia impressum, ab Olao Laurentii, & nonnulli alii rerum Sueticarum scriptores Ioan. Mag. Historia Gothica lib. 17. cap. 1. & in sua Metropoli lib. 1. De eius præterea laboribus, progressu, sedis in Pontificatu diuturnitate & mortis genere nihil in his auctoribus comperi. Probabili tamen coniectura ductus, hunc Herbertum fuisse puto, qui postea primus Mindensis in Germania factus fuit Episcopus, teste Baronio Tomo 9. An. Dom. 785. Is enim zelo prouehenda religionis Christiana stimulatus, Leonis Papa & Caroli Magni temporibus Septentrionales Prouincias adiisse perhibetur.

S. ANS-